

1717. J. 1. L. XXVIII. J. 1. 9. IV. L. XV. J. 1.

J. N. D. N. J. C.

EXCERPTA

CONTROVERSIARUM

DE

FILIO FAMILIAS

Quæ

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Consultissimo atque  
Excellentissimo*

DOM. JOH. HENRICO  
BOECLERO,


J. U. D. Juris Publici Professore & Canonico  
ad St. Thomæ Dignissimo.

SOLENNITER DEFENDET

*Ad Diem 30. Sept. 1717.*

JOHANNES CAROLUS FRANCIS-  
CUS de FOUQUEROLLE,

Oberbronnensis. Autor & Respondens.



ARGENTORATI,

Typis Viduæ JOSIÆ STÆDELII Univ. Typogr.

Diss. jur. civ.

211,26

17. 11. 1711. 2. 1711. 11. 1711. 11. 1711.

J. M. D. N. 1711.  
EXCURSUS  
CONTRORVERSARUM

FILIO FAMILIAS

DOM. JOH. HENRICO

JOHANNES CAROLUS FRANCIS



EXCERPTA CONTROVERSIARUM  
DE  
FILIO FAMILIAS  
QUÆSTIO I.

*An Filiusfamilias possit esse tutor?*



Um Filius familias ille sit, qui est in potestate patris, a cujus voluntate & directione dependet, fluere exinde videtur, eum, quamdiu [est in tali potestate, non posse directorem alterius existere; nam & incivile est eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire, atqui filii familias ab aliis reguntur, ergo aliorum tutelam subire non debent; fundari hæc argumentandi ratio videtur non tantum in æquitate naturali, sed & in expressa Legum dispositione, Vid. §. Instit. De Excus. tut. & Lex 21. ff. ad Legem Juliam de adulteris.

Verum distinguendum hic primo puto; inter filium familias majorem & minorem; quod minorem

attinet, utique non poterit tutor vel curator alterius existere, quia alieno auxilio eget, consequenter aliis auxilio esse non potest.

Ut autem ostendam majorem filium familias tutorem posse esse, probo illud ex princip. Inst. qui testam. tutores dari possint, ubi dicitur; non tantum tutorem posse testamento dari patrem familias sed & filium familias. Nam distinguendum est inter causas publicas & privatas. In causis publicis habetur filius familias pro patre familias *Leg. 14. ff. ad Senatus Consultum Treb.* jam tutelæ munus est munus publicum *princip. Inst. de Excus. tut.* ad quod quilibet civis cogi potest; nisi justam excusationem habeat.

Conficitur ergo eum non tantum tutorem esse posse, sed & cogi posse ad istud munus subeundum, cum ad eorum publicam pertineat pupillis subvenire, *Leg. 2. §. 2. ff. qui petant tut.*

## QUÆSTIO II.

*An Filius familias de pecuniis testamentum condere possit.*

CUM varia sint peculiorum genera, variæ quæstiones formari possunt & i. quod peculium profectitium attinet, circa illud ferè nullum dubium est, quod facultas testandi non competat, licet enim a patre libera administratio hujus peculii concessa sit, non tamen poterit de eo disponere mortis causa, seu testamentum condere de eo, cum neque proprietatem, neque

neque usumfructum filius familias in eo prætere  
 possit. arg. §. 1. per quas pers. nobis acquiritur. Quod  
 peculium adventitium concernit, videtur adesse  
 major dubitandi ratio. filium familias enim in hoc te-  
 stari posse, suadet natura proprietatis, cum enim in  
 peculio adventitio proprietatem habere, in apico est  
 & nemo negat.

Verum cum in Legibus duodecim tabularum  
 non tantum requiratur, ut quis bona habeat, sed etiam  
 ut bona habens sit pater familias, seu sui juris, hinc re-  
 cte etiam in hoc peculio interdicitur testamenti factio.  
 Ampliatur 1. etiamsi pater id permetteret,

Nam testamentum est juris publici Leg. 3. Cod.  
 qui Testam. fac. jus publicum autem pactis privato-  
 rum mutari non potest Leg. 45. ff. de Reg. jur. Insu-  
 per penderet tale testamentum aliqua ratione ex alieno  
 arbitrio, si parentis concessione conderetur, id quod est  
 contra Legē 32. ff. de hæred. inst. Amplio 2. *etiamsi filius*  
*familias suæ potestatis factus decesserit in fine princ. Inst.*  
*quibus non est permissum facere testamentum.* Omnia e-  
 nim, quæ ex testamento dependent ita valent, si ini-  
 tium quoque sine vitio cœperit Leg. 201. de Reg. jur.  
 atqui initium hujus testamenti est vitiosum, cum te-  
 stans non sit sui juris tempore conditi testamenti, tra-  
 ctu enim temporis solo convalescere non potest Leg.  
 29. de Reg. jur.

Amplio 3. etiamsi peculium adventitium sit irre-  
 gulare: ita enim Justinianus *in fine principii Inst.*  
*quibus non est permissum. præter hos igitur inquit, si quis*  
*Castrense peculium vel quasi habet, si quis alius filius fa-*  
*miliæ testamentum fecerit inutile est.* Si ergo omnia te-  
 stamenta de quibuscunque peculii (exceptis Castren-  
 sibus

sibus & quasi) inutilia sunt, etiam de peculio adventitio irregulari dispositio testamenti locum non habebit.

Objicitur 1. quidem quod filius familias plenissimum jus proprietatis & ususfructus habeat in hoc peculio, neque patri ullum competat jus in eodem, ergo etiam possit plenissime disponere tam inter vivos quam in testamento. Verum R. Negando consequentiam, quia uti suprascriptum est requiritur præter proprietatem bonorum plenam etiam qualitas patris familias, jam autem nusquam in jure dicitur quod filius familias in hoc peculio habeatur pro patre familias.

Objicitur 2. dispositio Novellæ 117. in qua dicitur filium familias de peculio adventitio irregulari quocumque velit modo, disponere posse.

Verum R. istam Novellam loqui tantum de dispositione inter vivos id quod in conflictu si occasio dabitur, ulterius explicabo.

Tandem de peculio Castrensi aut quasi filii familias indubie testari possunt, cum in hisce habeantur pro patribus familias, nemo enim inficiabitur castra vel togam ex eis esse quæ publici juris sunt, jam autem in iis quæ publici juris sunt, filius, uti dictum est, non sequitur jus patriæ potestatis.

### QUÆSTIO III.

*An Pater ex Contractu Filii familias obligetur Jure Civili.*

**R**egulariter nemo ex Contractu alterius obligatur  
*Leg. un. Cod. ut nullus ex Vicaneis.* ergo nec pater  
 ex contractu filii familias, speciatim quoad patrem  
 intro

introducitur erat, ut melior non deterior conditio eorum per filios aut servos fieret. *Lex. 133. de Reg. jur. Lex. 4. ff. de eo quod certo loco.*

Et hoc ipsum fundatur in ratione æqualitatis, quoniam nemini actus aliquis imputari potest, in quem haud consensit, consequenter nec ex eodem obligatio descendere poterit.

Verum hæc regula patitur tamen suas exceptiones, nam si pater filio peculium concesserit, actione de peculio, peculiotenus tamen: si pater filium jusserit, actione quod jussu, si pater filium negotiationi terrestri aut maritimæ præposuerit, actione exercitoria aut institoria tenebitur.

Denique si in patris utilitatem aut necessitatem filius egerit, actione de in rem verso extraneus patrem pulsare poterit: fundamentum omnium harum obligationum positum est in consensu paterno eoque vel expresso, vel præsumpto, vel generali, vel speciali.

#### QUÆSTIO IV.

*An Filius familias ex sua persona in Contractibus ab eo initis obligetur?*

**V**idetur filium familias servo comparandum esse, qui, quia in potestate domini est, ex sua persona civiliter non obligatur *Leg. 14. ff. de O. & A.* ita ut nec post manumissionem exinde conveniri possit *Leg. 17. ff. de Neg. Gest.*

Verum quoniam filius familias caput civile habet, etiam suo nomine, dummodo suo nomine contraxit, æque ut pater familias obligatur *Leg. 39. ff. de O. & A. & Leg. 57. ff. de judiciis.* & quidem in solidum *Leg. 44. ff. de peculio,* Nec

Nec obstat 1. quod filius familias non habeat, unde solvere possit. 2. quod filius familias non habeat legitimam personam standi in iudicio & per consequens nec agere nec conveniri possit; quia R. ad primum, eum aliunde habere posse bona, & licet non habeat bona, obligationem tamen subsistere posse. 2. Licet nec agere nec conveniri possit, quamdiu in potestate est, obligatum tamen manere, atq; executionem tantum differri usque ad tempus suæ potestatis *Leg. 5. princip. ff. quod cum eo.*

Hæc autem quæ dixi intelligenda sunt de eo filio, qui ex bonis paternis locupletior factus est, neque modicum accepit: si non sit factus locupletior, vel modicum accepit, exactio quidem contra eum decernitur, sed poterit ex prætoris Beneficio opponere exceptionem competentia, nisi dolo malo in contrahendo versatus aut in specie beneficio huic renun-  
ciaverit.

Regula ergo est, filium familias ex contractu proprio nomine inito obligari: exceptio tamen est in mutuo ex pecunia numerata consistente, in hoc enim plane non obligatur, sed potest opponere creditori ex mutuo agenti exceptionem Senatus consulti Maced. quod prohibuit, ne creditoribus mutuam pecuniam filiis familias dantibus efficax actio daretur, etiam si pecuniam filii familias adhuc saluam habeant, imo etiam si suæ potestatis facti fuerint.

F I N I S.